

dubia, & sæpè falsæ: sed simplicissimè latinè prodeat, saltem notatis radicibus. Contrà in edendis lexicis arabum nihil velim ejus tractare quod hic tractavi, non eum ordinè radicum, non latinam lexicorum versionem quod in græcâ lingua jam prohdolor (neque enim amplius germano vitio laboramus, sed plusquã barbaro) crebro fit, ut vertamus in latinum, quæ tamē nunquam recte verti possunt. Etiam si enim centeni Salmasii uni Julio polluci totam vitam millenosq; annos tribuerent, vanus tamen & superfluous labor deridendos ad ultimum verfores præbiturus: sic nec in his arabum lexicis eadē stultitia admittenda est. Sed ea omnia (habemus autē in christianitate centena) ita veluti genuino suo colore, robore, dotibusque conspiciuntur, edentur bono cum Deo, nullumque versionis opus habebit, sed hinc intelligetur. Postquam jam veram lexicæ materiam, ordinem, modum, admissa, omissa, causasque eorum omnium dedimus, adeoque propria lexico conscribendo tractavimus tribus his præcedentibus, paucioribus jam & multò brevioribus capitulis agemus de ista materiâ sequenti alieniore à lexico, & quæ saltem precario à me admittitur: quatenus aliquid facere videtur ad meliorem usum ejusdem, aut ad linguæ arabicæ facilitatem sensum demonstrandi: sequitur igitur

CAPUT QUARTUM,

Quo nunc quidem proponere decrevi, quomodo etymologia illa arabica sit aut plenius tradenda, aut certè alibi perfectiùs, alibi planius, alibique veriùs. Quicquid enim hic peccatur, id omne fit in damnum ingeniorum, & in præjudicium nostræ linguæ. quæ aded difficilis non est, ut ausim affirmare, orientales omnes occidentalibus singulis & universis esse multò simpliciore & proinde faciliores. Quòd quo facilius res aliqua proponi optetur, laborandum prius erit, ut simplicissimè proponatur. Hic quidem iterum, quanquam invitus, invitis forte etiam lectoribus arguere nostri sæculi judicium debeo, qui eadem præcepta orientalibus voluere applicata linguæ, quæ à romanis, græcisve pro occidentalibus his accepissent. Et quod nemo per omnia in his hodiernis communioribus christianitatis linguæ tentare ausus est, ut ista utriusque jam dictæ linguæ præcepta voluerit adhibere italica, hispanica, gallica,

gallica,